DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

LONGÆVITATE EX AERIS TEMPERIE,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXVIII. D. [illegible] AUGUST.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

HEINRICUS JOSUA MOSENGEL,

REGIOMONTI BORUSSUS.

HALÆ MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS.



PRÆLOQVIUM.



Vita hominis aut ſpiritualis aut naturalis eſt; ad utramque conſervandam, tuendam & confirmandam congrua inſerviunt media: hæc quæ naturalis audit, ſub reliquo longiſſimo, ut videtur tractu, tamen perbrevis exiſtit, hinc *Plinius Lib.3. Ep.7.* eloquitur: *quid tam circumciſum, tam breve, quam hominis vita longiſſima: tam anguſtis terminis tantæ multitudinis vivacitas ipſa concluditur:* quo ſpectat *Platonis* conſenſus *de Republ. lib. X. omne hoc tempus a pueritia ad ſenectutis extremum exiguum quiddam eſt ad univerſum, imo vero nihil.* Et dum multiplicia adminicula, naturalis vitæ durabilitatem promoventia, a benigniſſimo Creatore, omniumque bonorum largitore ſuppeditata ſunt, ita *non eſt bonum, vivere, ſed bene vivere,* bonum eſt, ut *Seneca lib.3. de benef. c.31.* dixit: bene vivere vero multoties promiſſionem & ſucceſſum lon-

gæ vitæ complectitur; hinc ille etiam bene vivit, qui mediis ad vitam necessariis, juste & legitime utitur: inter alia adminicula, vitam naturalem concernentia, annotandus est congruus usus Aëris, de quo propterea *Hippocrates Lib. de Flatibus* §. *6. text. 1.* dicit: *aër vitæ & morborum solus est author*, quæ paradoxa assertio, tamen veritatem aliquam continet, licet aer neque author, genuino sensu, neque solus author vitæ existat: paralleli ferme tenoris adsertio *Plutarchi 8. Sympos. qv. 8. reliqua omnia servat, nutritque aer:* permovit hæc consideratio, quæ aëris utilitatem, necessitatem & salubritatem complectitur *Hippocratem*, quo peculiari libro *de aëribus, aquis* & *locis* tractaverit: Et quamvis variæ opiniones de utilitate aëris circumferantur, tamen selectus prudens institui & obscuræ præsumptiones, atque assimilationes a perspicuis & veris demonstrationibus sollicite & judiciose discerni debent: quod enim aër corpori balsamum vitalem largiatur, justa interpretatione & declaratione indiget: haud enim vita tali supposito balsamo mumiali conservatur & sublevatur, ac quidem nonnulla cadavera variis balsamicis substantiis a præcoci corruptione præservantur, hinc conservatio corporis exanimati variis aliis adminiculis nititur, quam animati, ubi ab uno ad alterum non absoluta & promiscua valet consequentia: deinde vera, solida & luculenta demonstratio balsami ejusmodi vivificantis in aëre valde difficilis erit, ni magis quisquam verbis ludere & impropriis notionibus philosophari mallet: & quamvis in nonnullis regionibus athmo-

sphæ-

ſphæra reſinoſis, oleoſis, ſulphureis, balſamicis & aromaticis effluviis imprægnata ſit, tamen iterum difficilis erit demonſtratio, quod hoc modo per inſpirationem ejusmodi aëris & conſpirantium ſubtiliſſimorum corpuſculorum ſanguinis maſſam valde commoventium, nimiusque rarefacientium, corpus a putredine arceri & per conſequens vita prolongari queat: quamobrem *Helmontius in tr. blas humanum n. 14.* pro ſuo ſenſu & captu demonſtrare voluit, quod aër neque efficiat, neque nutriat vitales ſic dictos ſpiritus: & *n. 45.* aſſerit, quod aër ſanguinem volatilem reddat, ubi illius neceſſitatem & utilitatem pro pulſu demonſtrare vult: neque etiam illa ratio nobis firma & ſolida videtur, qua nonnulli aëri tantam vim motricem tribuunt, ut mediante hoc primo impulſu tota machina corporis humani in congruam activitatem & modificationem convertatur; haud enim ſufficit tantum demonſtrare, quod magna aëris copia cum cibo & potu corpus noſtrum intret, ut *Garmannus de Mirac. mort. Lib. 2. tit. 3. §. 59.* ventilavit: neque ſufficit dubia aſſertio, quod aër in pulmonibus ſanguinem ingrediatur, quam tuentur, *Ariſtoteles hiſt. anim. Lib. 1. c. 16. 17. lib. 3. c. 3. de reſpir. c. 15. Avicenna Canon. lib. 1. fen. 1. doct. 5. c. 1. f. g. b. Galenus de Placit. Hipp. & Galen. Lib. 6. Deuſingius exerc. de reſpir. §. 144. Riolanus de circ. ſangv. c. 3. Entius in Apolog. circ. ſangv. p. 96. Kotzack de Hæmorrh. Lib. 2. c. 5. Schwammerd. de reſpir. c. 4. Thruſton de reſpir. in animadv. Ortlob. diſſ. anat. phyſ. X. §. 10. Borellus de motu anim. p. 2. c. 8. prop. 116.* (licet huic ſententiæ multi oblo-

quantur. *vid. Garmannus l. c. §. 55.)* quoniam adhuc demonſtratio deficit, quod videlicet ab hac communicatione aëris vita & ſanitas pendeant: neque ſolida & certa eſt aſſertio, quod aër propterea ad motus vitales neceſſarius ſit, quia extra corpus humanum eximiæ efficaciæ aëris motus exiſtit, ad potentes motus & ſtupendos effectus producendos; hæc enim argumentatio perquam confuſa & infirma eſt, dum vix per bonam conſequentiam logicam ab aëris vi athmoſphærica mox ad æqualem neceſſitatem & virtutem in œconomia vitali concludere poſſumus: neque ex illa opinione aëris uſus ad vitam ſanam & longam probari poteſt, quaſi aër corpus humanum nutriat, ſicut *Marcellus Donatus lib. 4. de med. hiſt. c. 12.* & *Quercetanus in diætet. c. 3.* tradiderunt, quod videlicet aër ſpiritus ad corpus humanum & motus vitales neceſſarios augeat & obfirmet; ſiquidem hæc ſententia valde obſcura & ſpeculativa exiſtit, dum primo demonſtrandum eſſet, an ſpiritus tales neceſſarii ſint, deinde an ad motus vitales requirantur, porro cujus conditionis illi eſſe debeant & quales ab aëre ſpirituoſæ ſubſtantiæ requirantur, an ſulphureæ, an ſic dictæ nitroſæ, an acidæ, &c. quæ ſuppoſitiones difficillime, imo nunquam extricari & decidi poſſunt; quamobrem hanc ſuppoſitam aëris vim nutritivam *Caſp. Rejeſius Camp. Elyſ. qu. 58. n. 30.* & ſeq. refellit. Aſt quoniam aër non modo ad vitam nati hominis abſolute neceſſarius eſt, imo quoniam ex illius relatione & conciliatione ad corpus humanum & cum eodem multi ſalubres uſus & effectus ad longam

gam vitam demonstrari possunt, ob id præsenti Inaugurali Specimine cum DEO constituimus, ut LONGÆVITATEM EX AERIS TEMPERIE explicemus & confirmemus. Annuat nostro proposito divina benedictio ut prosperos faciat successus.

§. I.

AD vitam & sanitatem naturalem *sublevandam* almus Creator *naturalia* etiam media & subsidia patefecit, suaque *benedictione* instruxit, quibus *congruo* ordine homo uti debet & potest: similia adminicula ad Longævitatem *naturalem* acquirendam benignissimus Deus æque paravit & suppeditavit, ita tamen ut sub illius primo & *principali Directorio* vita & Longævitas subsistant: Ad hanc Longævitatem etiam *Aëris puri* justus usus merito referri debet: Magna enim *Aëris* æstimatio est inter *Physicos* & *Medicos*, qui *principem* locum inter naturales causas meretur, tam ad varia phænomena in *Macrocosmo* explicanda, quam ad diversos usus & effectus in *Microcosmo* demonstrandos: quin ipsi etiam *JCti* circa *aëris usum & applicationem* judicia sua exposuerunt videl. *Bened. Carpzovius disp. de Jure circa aërem*, *Stryckius de Jure Principis aëreo*; qui posterior *c. 2. n. 2.* dicit: *est quidem aër secundum all. præced. C. n. 17. texx. omnium communis; imo nihil communius eo & magis proprium hominum necessitatibus: Gryphiand. de Insul. c. 11. n. 27. dum omnibus sufficit ad respirationem Oldenb. itin. Jurid. T. 4. §. 1. conf. Bachov. & Vinn. Comm. in §. 1. J. de R. D. sine qua nemo vivere potest, Hippol. a Collib. de incr. urb. cum add. natural. p. 27. seq. cujus modum & rationes adducit Tholos. S. 1. Univ. L. 1. c. 5. item Havem. amus. Sect. 1. c. 6. n. 15. de quibus tamen calculum philosophis*

per-

permittere malo, quam meum iis adjicere; inter Medicos *Montagnana in tr. de Præservatione corporum debilium in aëre subtili* varia profert, quæ ad applicationem *therapevticam* pertinent, quemadmodum *P. Zacchias in Qv. med. legalb. Lib. V. tit. 4. qv. 1. de boni ac mali aëris conditionibus & signis* varia ad usus *medicos* spectantia profert: Neque *tantis* testimoniis opus est, dum multiplices *vires aëris* in *corpus humanum* inclarescunt, quæ a *priori* & *posteriori* satis evidentur demonstrari possunt: haud quidem hoc themate *singulas* aëris *utilitates*, aut *noxas* in relatione ad *corpus humanum* recensere & explicare volumus, illud tantum *succincta* deductione demonstrabimus, quod ad *diuturniorem* vitam & constantiorem ac *firmiorem* sanitatem *certa* constitutio aëris & *justus* illius usus pertineat: neque etiam *obscuris* & sub *ambiguis* assimilationibus perperam applicatis rationibus *titulo* nostro satisfacere cogitamus, siquidem incognitum esse vix potest, quantæ *opiniones* & traditiones passim de *usu* & *utilitate aëris* circumferantur; hinc inquiremus & ex *rationis* æque ac *experientiæ* suffragio demonstrabimus *qualis* aëris qualitas in *genere corpori humano* ad tuendam sanitatem & *prolongandam* vitam proficua existat: Et dum homo sub indefinenti & *differenti* aëris qualitate vitam suam transigit, ita ab eodem variis *alterationibus* obnoxius redditur: imo dum aër non modo *extrinsecus* nostrum corpus ambit, sed & *varios* accessus obtinet, quibus ad *interiores* fluidarum & solidarum partium regiones atque distributiones pervenire potest, ita tanto magis *salutaria* consilia circa *justum* aëris usum æstimanda sunt; quemadmodum etiam circa hunc usum varia *ignorantiæ peccata* committi solent, hinc sincera & solida parænesis quoad *Aëris usum* admodum fructuosa existit: interim admirationem utique meretur, quod fragile & valde *corruptibile*, molle, laxum, humidum, flexile nostrum corpus, *tam diu* sub

aeris

aëris etiam tantum *externo* contactu *durare* possit, siquidem firmiora *metallica* subjecta *facile* ab *aëre* in sua mixtione, *integritate* & forma alterantur: quidquod tanto *eminentiores* alterationes præcipue *destructoriæ* & resolutoriæ ab *intimiori* aëris interagitatione expectandæ sunt, testimonio consideratu perquam digni illius processus *Fermentationis*; hinc non modo ferme unanimus eruditorum sensus & consensus est, quod aër ad *putredinem* cito & facile disponat; quicunque etiam *aëris regimine rite* & perite uti sciunt, illi in *Oeconomicis, Politicis* & *Medicis* varia damna a diversis subjectis arcere & avertere possunt: Quoad *Longævitatis* notionem vero, qua hoc *titulo* utimur, non *strictam* aliquam annorum periodum, sed respectu subjectorum *certorum accommodatam* & *restrictam* intelligimus: siquidem nonnulli homines ob *certas* etiam naturales *causas* maturius & *citius*, vita privari possunt & solent, qui tamen *salutaribus* consiliis annuentes sub propitio *divino* moderamine paulo *diutius* suam vitam protrahunt.

§. II.

Aëris disquisitio *physico-medica*, in quantum inde *vita* & *sanitas confirmari* & a morbis *præservari*, aut vicissim *enervari* & ad morbos *præparari* potest, non immerito in rerum *non naturalium* classe primatum tenet, quoniam illius *magna vis* est, siquidem homo *indesinenti* commercio illius fruitur, deinde quotidianis ejus *mutationibus* obnoxius est; hinc variæ *inseparabiles* qualitates cum *aëre* concurrunt, quæ corpori aliquam alterationem minantur: & quamvis *materia* aëris sua *subtilitate* facile partes *mixtas* ingrediatur, penetret & sub perenni sua *commotione* adhæsionem & *commixtionem non* assumat, quin potius substantias mixtas *relaxet* & tandem plane *dissolvat*, tamen *motus aëris* notatu *magis* dignus est, qui perinde *continuus* satisque *efficax* est, unde propterea

tam in *animatis*, quam *inanimatis* subjectis varii effectus & mutationes proveniunt: ob id in præsenti tractatione animadversionem nostram dirigimus, partim ad aëris *materialem* constitutionem, quatenus vel *subtilis*, vel *crassus* est, ad ejusdem *simplicitatem*, quatenus vel *purus*, vel aliis *diversis* materiis refertus & *inquinatus* est, partim ad ejus *activitatem*, quatenus aut plus, aut minus *elasticus*, aut *calidus* & *frigidus*, aut *moderatus*, aut *impetuosus* existit; quo pertinent relationes *ventorum* & *tempestatum* ad corpus humanum & reliquæ *connexæ* aëris qualitates, quæ cum corpore hominis conspirant; Et hæc disquisitio in *Medicina* admodum utilis & scitu necessaria est, ut videlicet inde *Historia morborum* confirmetur, siquidem laudabili studio *Hippocrates* passim annotavit, quomodo ægrotationes *varient*, secundum *anni tempora*, hinc *sect.3. aph.19.* dicit: *morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, nonnulli vero in quibusdam ipsorum magis & fiunt & exacerbantur:* propterea *aph. 18. 20. 21. 22. 23.* morbos secundum *anni tempora* variantes recenset & sic passim in multis locis talem observationem prosequitur repetitque: inde etiam in *veras* morborum *causas* inquirendi patet aditus: hinc inclarescunt causæ morborum *epidemiorum* ex parte *endemiorum*, qui videlicet certis regionibus & *climatibus* familiares, ut & *sporadicorum* ex qua solida & perspicua cognitione methodus *præservatoria* & *curatoria* multum lucis & adjumenti capessit: siquidem non raro contingit, ut *mutatione* aëris quidam homines *adversam* etiam valetudinem in *prosperam* & bonam immutent: quamvis relatio aëris ad diversa subjecta etiam discrepet: hinc *Zacchias l.c. n.5.* dicit: *occurrit aliquando, quod alicujus loci aër sit quidem ex sui natura salubris & laudabilis, sed respectu alicujus personæ, quæ in eo residere cogitur, aër ille sit omnino insalubris & illaudabilis:* quod adsertum exemplo quodam addito confirmat

mat & illustrat: & ex hoc fundamento *jus Principis aëreum* Stryckius l. c. explicat & defendit, quando dicit, n. 4. *hinc Princeps sedem suam ad locum salubriorem transferre amat: n. 11. huc spectat aëris cœlique mutatio, principi ob illius pestilentiam & suæ salutis conservandæ causæ omnium maxime licita & suscipienda: quodsi enim aëris intemperies justa causa translationis & mutationis sedis in Episcopo dicitur multo magis in Principe cujus vita multis est utilis. Principis autem vita tempore infecti aëris facile periclitatur, quippe maxime interest, qualem spiremus aërem, qualesque hauriamus odores: hinc uti purus aër ac salubris plurimum ad bonam principis constitutionem facit, exemplo Caroli V. Imperatoris, qui Madriti paucos dies commoratus, morbo quartanæ, quo diu laboraverat, est liberatus, quod Madritum saluberrimo donatum sit aëre:* tales itaque animadversiones & decisiones optime *Medici* interpretantur & explicant, ut illis *major* fides habenda sit, cum illarum *rationes veræ* & fundatæ existant: quam ob rem multum interest in *Sanitatis* & *Morborum* directorio, ut in hac observatione medici justa & solida cognitione sint instructi.

§. III.

Quod ad *longiorem* vitam *Aeris* temperies, *benignitas*, clementia, aut æquabilitas contribuat, non modo a *priori* ex *relatione* efficaciæ aëris ad partes *fluidas* & *solidas*, ut & ad hominum *individualem* & personalem *sensibilitatem*, sed & a *posteriori* & contrario, aut *opposito* effectu, quænam reales *utilitates* a *salubri* & benigno aëre & quænam *detrimenta* a minus benigno aëre proveniunt, quo adhuc *variorum* doctorum *suffragia* pertinent, quæ præsentem sententiam suo calculo probant: talia testimonia *passim* occurrunt, e quibus pauca proferre lubet: *Burnetius in Telluris Theoria Sacra Lib. 2. c. 3.* agit *de vera causa Longævitatis ante diluvianorum, de causis Senectutis in genere &*

 brevi-

brevitatis hodiernæ & *p. 90.* confitetur: longævitatem ante diluvianorum & brevitatem nostratium non *aliunde petendam esse existimo, quam a causis externis & ab actione aëris & cœli in corpus, quæ prout æqualis est & temperata, aut inæqualis & extrema, corporis statum magis aut minus, citius aut tardius immutat & labefactat:* hinc deduco & *vitæ nostræ brevitatem ab inæquali anni forma & intemperata vi frigoris & caloris corpus alternatim impetentium, provenire sentio;* provocat hic author ad *cœlum Paradisiacum* & simul ad varia *exempla*, quibus hanc suam assertionem roborare nititur: & licet ipse varia proferat, quibus quidem haud *absolute* subscribimus, tamen *in eo* consentimus, quod aër *temperatus* & *congruus* ejus usus ad vitam & sanitatem confirmandam & *prorogandam* inserviat: huc etiam pertinet *Zacuti Lusitani* testimonium, qui in *Medicorum Principum Historiis Lib. 6. histor. 17. qu. 8. p. 962.* causas nonnullas longævitatis *primævorum* hominum commemorat & inter alia differit: *quod in prima ætate, Deo disponente, valde benigni & salutares siderum adspectus cœlique influxus fuerint:* porro hic author loquitur: causa Longævitatis est *bona, commoda, fausta felixque astrorum facies & adspectus ei imminens regioni, in qua sani vivunt mortales:* & *p. 963.* pergit: *hinc fit, ut ob faustos siderum aspectus regio sit præstantissima, in qua homines diutissime vivunt:* profert etiam hic author *climata salubria* & *exemplis* prædictam adsertionem probat: hanc eandem sententiam suo calculo confirmat *Zacchias l. c.* pertinet huc testimonium *Vidi Vidii de tuenda valetud. generatim Lib. 5. c. 6. p. 85. lit. F.* quando profitetur: *ad aërem maxime respicere oportet, cum simplicium partium, sanitas, quæ in ipsa temperatione consistit, servanda est: sub aëre comprehenditur regio, tempus anni præsens cœli status: requiritur autem ad opera exequenda tanquam instrumentum victui*

subje-

subjectum, sed & ipse aliquid requirit, non tamen per se, sed quatenus ad conservandam & mutandam temperationem nostri corporis conducit: seq. huc pertinet suffragium *Ramazzini in annot. in Libr. Ludov. Cornelii de vitæ sobriæ commodis p. n. 828. non solum autem iis qui sanitati & longævitati student, necessariam esse a ciborum quantitate & qualitate temperantiam, sed a multis aliis cavendum esse, veluti a nimio exercitio, ab insalubrium locorum habitatione, a ventis & insolatu - - ubi enim aër purus est, homines longævi sunt, aër siquidem non solum in cute, sed intus nostra viscera perlustrat: quare Hipp. in Lib. de flatibus aërem authorem & dominum appellabat eorum, quæ in nostris corporibus accidunt:* ipse etiam *Cornelius* scripsit: *cum hac diæta, ab aliis quibusdam nocumentis mihi cavi, nimirum a nimio calore, frigore, fatigatione, vigiliis & ab excessu in opere venereo: itemque ab habitatione noxii aëris, a ventis & solis ardore:* hisce testimoniis addimus *Paræum in introduct. ad chirurg. c. 13. Sennertum institut. med. Lib. 4. Part. 2. c. 1. de aëre ad sanitatem tuendam commodo, Hildanum de valetudine tuenda. Grembsium in arbore integra & ruinosa hominis Lib. 3. c. 2. de Longævitate vitæ humanæ. n. 18. seq. Jœpserum in Manuductione ad vitam longam Part. I. c. 6. p. 30.*

§. IV.

Aëris *efficacia* in *corpus* humanum est vel *communis* & *universalis*, vel *individualis* & *particularis:* & secundum hanc differentiam æstimandus est usus aëris ad *vitam longam* promovendam: Ita in *omnia* corpora aër *calidus, calefacientem* & *exsiccantem, frigidus, frigefacientem* & *incrassantem, siccus exarefacientem, humidus relaxantem,* nunc *majorem,* nunc *minorem* virtutem exserit: sic etiam aër

purus omnibus corporibus *proficuus* eſt, *impurus quælibet* corpora inquinat, impura plus, pura minus: idem etiam ſentiendum eſt de *connexis* aliis qualitatibus naturalibus: hinc aër *calidus* in omni corpore humano nunc *plus*, nunc *minus* pro partium fluidarum & ſolidarum *varietate*, humores *intenſius* commovet, *calorem* auget, *ſanguinem* & connexos humores *rarefacit*, ſerum ſubtile ſulphureum orgaſticum, *acre*, ſalſum accumulat, *acrimoniam* majorem in humoribus generat, *ſubtiles* partes diſſipat, humidum *diſpergit*, *mucido*-terreas ſubſtantias, ni conſtanter nova *humiditate* diluantur, incraſſat, fibras flexiles *exſiccat* & neceſſaria ſua *humiditate* depauperat, hincque ſub ejusmodi incraſſatione efficit, ut *impuræ* ſubſtantiæ facilius & *firmius* reliquis partibus obhæreſcant & *dyſcraſiam* corpori concilient: quamobrem *nimius æſtus*, aut frequens exæſtuatio corporis, *inſufficiens* vero temperatæ *humiditatis* reſtitutio humores reddit *acres & impuros*: *particularis* vero aëris efficacia occurrit perinde in *diſcrepantibus* corporibus & temperamentis humanis: quare in ſubjectis *humidis* & ſucculentis *ſiccus* & calidus aër, *minus* exarefacit, ſed tolerabilior eſt, ac *humidus*, qui *plus* relaxat & humefacit: hinc *Galenus Lib. 1. de tuenda ſanitate* eloquitur: *puriſſimum & temperatiſſimum ventum & aërem in pulmones attrahere, omnibus juxta ſalutare eſt: nam impurus aer & ventus omni ætati adverſatur: at vero quæ ex calore, frigore, ſiccitate humiditateque diverſitas aeris contingit, non perinde ſe ad omnes homines habet, ſed corporibus optimo temperamento dotatis, optime temperatus aer conducit: in quibus vero aliqua exſuperans qualitas dominium habet, iis utiliſſimus aer cenſetur, qui qualitati prædominanti pari gradu adverſatur:* deinde *ſingularis* relatio & efficacia aeris occurrit, in ſubjectis, quæ alias bona & *vegeta* natura prædita ſunt, in quibus videlicet *ordinariæ* ſalutares excretiones *prompte*, rite & *ſufficienter* ſuccedunt,

dunt, unde quamvis ex aere *impuro* variæ & multæ heterogeneæ & *inimicæ* substantiæ communicentur, tamen eædem *haud diu* in corpore tolerantur, sed *expedite & vigorose* ordinariis *excretionibus*, maxime *diaphoreticis & diureticis* expelluntur: inde est cur hominum in locis *impuris* versantium, *sudor & urina* valde *fœtidis* qualitatibus occurrant: uti *Garmannus de mirac. mort. lib. 2. tit. 8. §. 43. sudorem adversi odoris ex multa opii ingestione* commemorat; quales paralleli casus recenseri possent, si necessitas postularet: id vicissim ex *veritate facti* constat, quod homines, qui sub *suaveolentibus* effluviis & aromaticis *exhalationibus* degunt, *suaveolentem* sudorem & urinam habeant: quamobrem in tam *vegetis* naturis *impuritates* cum *aere* inspiratæ & *communicatæ* prompte *evacuantur:* inde etiam contingit, ut homines e *puriori* climate & aere, in *impuriorem* athmosphæram emigrantes, quando in hac *aliquandiu* commorantur, aliquando *febres acutas*, *scabiosam* defœdationem, *serpigines*, pruritum cutis &c. experiantur, quando antea ex *insueto* aere *impura* talia effluvia in *interiorem* corporis regionem excepta fuerant, quæ corpus adeo *inquinarunt*, ut tales *morbi* supervenerint, quando vero ulterioribus *impuritatum* ex *aere* communicationibus adsuescit, tunc natura easdem *majori* activitate & *citiori* resistentia, imo *copiosiori* quantitate evacuat, adeoque *tempestive* corpus ab iisdem liberat, ne *accumulatæ & diutius* retentæ magis corpus inquinent & ad *majora* damna præparent & præcipitent: Ad talem *individualem* alterationem pertinet etiam *personalis* hominum *sensibilitas*, ob quam quidam nunc *citius & molestius* certam aeris *intemperiem*, impuritatem & turbulentiam *percipiunt* & secundum hanc ægram & *adversam* tolerantiam *citiores offensiones* & alterationes percipiunt: quemadmodum *nonnullæ* personæ *animo* ita *molles* teneræ & flexiles sunt, ut a *leviori* aeris mutatione, facile *adversam* valetudinem

dinem percipiant, hinc si aliquando corpus suum aeri *liberiori* exponunt, mox capitis dolores, oculorum calamitates, dentium passiones dolorificas, tusses, colicam experiantur, de quibus dicunt, es dörffte solche Leute kein unsanfft Windgen anwehen, sie fühlten es gleich, es wären Wetterwendische Menschen, könten die Lufft nicht vertragen, weil sie immer sich inne hielten, oder in ihren Zimmern sich aufhielten.

§. V.

Particularis, circumstantia & qualitas occurrit porro in humorum *crassiori* mixtione, quæ ex *diæta* paulo crassiori provenit, in quam aer sua *elastica* activitate tam *promptam & validam* efficaciam *haud* exserere potest, quoniam humores paulo *consistentiores* juxta physicum stilum majorem *resistentiam*, aut *renisum* exercent; quamobrem *communis* aeris conditio atque qualitas non tam facile subjecta *vilioris* dignitatis & sortis afficit, quando vero *subtilia* miasmata, contagiosa, maligna, cito putrefacientia *ejusmodi* humoribus *insinuantur* & communicantur, tunc illa non modo *firmius* in hisce hærent, sed & *difficilius* ex iisdem separantur & subinde reliqua *inquilina* humorum impuritate *sustentantur*, ut propterea tales homines *ob hanc* etiam rationem facilius *succumbant*, ni *personale* vicissim *naturæ* robur & *distincta vegeta* qualitas in *spontanea* morborum curatione tales *difficultates* superet, ægrosque a periculo mortis liberet & pristinæ integritati restituat: Contra vero humorum mixtio *laxior*, mollior & *mobilior* ob hanc *specialem* qualitatem *facilius* aeris injuriæ & *impuritati* subjacet: inde etiam evenit ut humores *subtiliores* & principiis *sulphureis* orgasticis magis prædi- ti ab aere *calido*, in quo *æthereum* principium valde commotum est, *efficacius*, imo *impetuosius* afficiantur, ut in iisdem anxia, *orgastica*, oppletoria & subinde valde suspecta commotio oriatur, siquidem *ætherea* substantia

jam

jam *valde* agitata, *massæ* sanguineæ *interfusa* & ab hujus *calore* ulterius *impulsa* vehementiores commotiones, *exæstuationes* & efficaciores humorum *resolutiones* causatur: Hisce *singularibus* & *specialibus* qualitatibus annumerari meretur *laxitas*, aut densitas partium corporis *solidarum*, præcipue *illarum* membranarum, quas *proximiori*, suo contactu aër *libere* afficit: quo *compactior* enim & *angustior* est corporis *porositas*, eo *minus* subito aer cum suis *inquinamentis* insultare potest, hinc corpora *firmiora* & *solidiora* paulo *diutius* in aere *durare*, ejusque *injuriis* resistere possunt, quam *laxiora* & molliora, quorum porositates *ampliores* & patentiores sunt, quæ *facilius* ingressum & communicationem inquinamentorum admittunt, licet dein per poros *capaciores* & *ampliores* iterum insinuata *heterogenea* recrementa *facilius* evacuari queant, quam per *strictiores* & angustiores: præterea *particularis* aeris relatio & effectus est, quando in *nonnullorum* subjectorum *humoribus* copiosæ materiæ fluctuant, quæ *facile elasticum* expansivum motum subeunt, quales e *vino*, *aromatibus* aliisque *spirituosis* substantiis *largius* generantur, tunc aer, in quo subtilior ejus, videlicet *ætherea* portio in *majori* commotione & quidem *elastica* est, *majorem* etiam vim & *efficaciam* in *tales* humores, quam in *alios* habet; quemadmodum inde tales homines *intensius* & molestius *æstuant*, adversam *oppletionem* partium solidarum & *orgasmum* fluidarum percipiunt, quibus propterea secundum *talem* qualitatem aeris *aliud* congruum regimen ordinandum est, si sanitatis firmitati & vitæ *durabilitati* prudens Medicus consulere vult: ita alia *relativa* & *particularis*, aut *personalis* efficacia occurrit aëris *impuri* in *impuro* corpore, quod ob *accumulationem* pravarum & inimicarum substantiarum *facilius*, quam *purum* corpus læditur: hinc contingit, ut spirante aëre *maligno*, *impura* corpora *citius* inficiantur

ciantur & ſupprimantur: quam ob rem *Jœpſerus Part. 1. c. 6. p. 33. in manuduct. ad vit. long.* aſſerit: *maligna aeris peſtilentis tinctura, alia ſubjecta facilius, alia vero difficilius inficit: qui enim perverſa victus ratione uſi, cacochymicis abundant humoribus; quique ob bilis abundantiam & ſanguinis caliditatem facili inflammationi ſunt obnoxii, hiſce maligni aëris levior afflatus, facili negotio virus malignum & peſtilens communicat; - - quod e contrario viſcerum munditiem habentibus, puroque & moderato ſanguini præditis non ita facile contingit.* Et talibus *particularibus* relationibus & efficaciis aëris variæ aliæ conjungi poſſent: ſed ſuffecerit nonnullas illarum indicaſſe.

§. VI.

Temperies aëris, de qua affirmamus, quod ad Longævitatem contribuant, præſenti conſideratione *relationem* & commercium habet ad homines *ſanos* & cum iis, quoniam *valetudinariis* ſubjectis aut perfecte ægris perſonis *ſpecialiſſimum* regimen, quoad *aeris* conſtitutionem ordinandum eſt: *Generice* itaque hominibus *ſalubris* eſt aër *mediocriter* calidus, qui propterea *temperatus* audit; etenim *calor* plurimis creaturis *viventibus* amicus & *proficuus* exiſtit, quo præſente actus *generationis*, *conſervationis*, *nutritionis* & *reſtitutionis* facilius ſuccedit, ex qua univerſali obſervatione quidam colligunt, quod a *condito* mundo mox ſerenum *vernum* tempus inchoaverit: quando itaque calor non *nimius*, neque *parcus* eſt, tunc homini vivo admodum proficuus exiſtit, etenim ſub hac temperie ab *intra* & *extra* corpus ſufficienter *humectari* poteſt, hinc *præjudicioſa* ſiccitas & humiditas excluditur: ob id obſervatores ad *exempla* provocant, quod in *illis* locis homines *longævi* reddantur, ubi *temperatus* talis calor occurrit; hanc *temperiem* lædunt *ſenſibiles* alterationes a *frigido* aëre provenientes, præcipue *diu* durante aut *ſubito* alternante: in genere enim *ſubitaneæ contrari-*

arum

arum qualitatum aëris mutationes perniciosæ sunt; & quamvis interdum per *benignitatem* tempestatum & anni temporum aër sit temperatus, tamen *alia* aeris qualitas *superveniens* nunc majorem, nunc minorem *alterationem* corpori conciliat: neque tantum *temperies* se ad qualitatem *caloris* refert, sed etiam qualitatem *frigoris*, *humiditatis* & *siccitatis* concernit: quoniam *continuus* calor, licet cœteroquin *temperatus* sit, tamen ægre afficit corpus, unde *leniter* frigida aura per *intervalla* afflans, *excitatiorem* motum humorum mitigat & in *fibris* motricibus *firmitatem* quandam motus *tonici occasionali* influendi ratione causatur: perinde *constanter* calidus aer, licet sub *temperie* comprehensus sit, nihilominus *successive* præjudiciose *exsiccantem* qualitatem complectitur & communicat, hincque humores *incrassat* & fibras *rigidiores* reddit, unde varia alia *connexa* vitæ & sanitati *inimica* alterationum schemata oriuntur: quando itaque nonnunquam *modice humidula* aura adspirat, tunc *fibræ* motrices interdum *leniter* relaxantur, ut *fluidæ* partes *inter* easdem efficacius progredi & *æqualiter* circuitum suum invenire queant: Ob id *justa* aeris temperies *illa* appellari meretur, quæ quoad *hasce* qualitates non modo ratione *gradus* moderata & *lenis*, sed & ratione *variationis* ordinata, *mitis*, lenis, successiva, neque *excessiva*, aut subitanea, aut impetuosa existit: ea propter prædicti authores testimoniis & *exemplis* probant, quod in ejusmodi locis, ubi *talis* aeris *temperies* occurrit, homines *sani* & *longævi* reperiantur: vicissim vero uberrima *exempla* testantur, quod *nimius caloris* & *frigoris* gradus, aut *multa* & frequens *humida* vel *sicca* aura varia corpori humano *damna* inferat, quæ specialius commemorare haud placet, quoniam in præsenti explicatione *brevitati* studemus: porro in hac disquisitione observanda est ratio *temperiei* in aere, ratione *consistentiæ*, siquidem aer *nimis subtilis* perinde

omnibus subjectis *haud* accommodatus & proficuus existit, quoniam ad movendos & *expandendos* pulmones *ineptior* est, subinde *sanguinem fortius* motu *intestino* afficit, ejusque majorem *resolutionem* promovet: eam ob caussam aer *fervidior*, qui subinde *subtilior* est, varias *molestias* creat & ad multiplicia sanitati & vitæ *infensa* mutationum specimina contribuit: ob id *venti*, qui talem *subtilem* aerem *diutius* & frequentius athmosphæræ nostræ communicant, sanitatem & vitam *offendunt*, sicut ventus *plus* australis, minus occidentalis, aut orientalis conjunctus: cum vicissim in medio ferme constitutus australis & favonius aut orientalis plus vitæ *prolongandæ* inservit: neque tamen promiscue ex *Hippocratis* adfertis in *nostris* regionibus de *aere* & *ventis* judicandum est, quoniam ab Insula Coos ad Germaniam non valet consequentia: ita enim de australi vento Senex *Sect. 3. aphor. 5.* scribit: *auster auditum hebetat, caliginem visui obducit, caput gravat, membris tarditatem & languorem conciliat*, quia in *Græcia* hic ventus valde *calidus* & simul *humidus* est, adeoque ad *relaxandas* partes & *catarrhales* stagnationes, *secessiones* & offensiones disponit: quæ aura in *aliis distantioribus* locis non *simili* gradu in corpora hominum operatur. Et hæ considerationes quoad *temperiem* aeris annotandæ veniunt.

§. VII.

Ad vitam *longam* itaque *illa* aeris temperies & qualitas pertinet, ut athmosphæra, in qua homines vivunt *pura* i. e. a *salinis*, subtilibus *sulphureis*, *fuliginosis*, oleosis, *empyrevmaticis*, *putridis*, fœtidis, *attenuatis* terrestribus, *metallicis* &c. effluviis libera, adeoque magis *serena*, luminosa, mediocriter levis & modico *afflatu venti* australis & orientalis præcipue prædita existat: haud enim necesse est, ut athmosphæra per multa milliaria balsamicis aromaticis effluviis impregnata sit, quale quid in talibus regionibus contingit, ubi aromata talia crescunt: hinc *historiæ nauticæ referunt*, *eo tempore*, *quo Cinamomum maxi-*

maxime in Ceilano floret & colligitur, insulam tantam odoris fragrantiam spargere, ut ea ad 100 milliaria intra altum mare non sine sanitatis debilitatæ instauratione venti deferentis beneficio percipiatur: quod idem in Moluccis contingit: in quibus ventus odorem caryophillorum ad complura milliaria præsertim tranquillo tempore spargit: Athan. Kircherus Mund. Subterr. Lib. 4. Sect. 2. cap. 8. pag. 215. Mandelsloh Itinerar. Lib. 2. cap. 4. Rob. Boyle de nat. determ. effluv. cap. 4. Bohnius Circ. anatom. pag. 362. nimis porro subtilis aer, ut *antea* notavimus, *haud* salubris existit; hinc in *altioribus* montium cacuminibus & regionibus homines ob nimiam aeris subtilitatem *persistere haud* possunt, siquidem alias communiter in montibus *altioribus* aer subtilior existit *vid. Augustinus de Genesi liter. l. 13. c. 2. Jonstonus Tavmatographia Class. 2. c. 2 p. 53. Lipstorpius in Specimin. Philos. Cartes. Part. 1. p. 113. Garmannus de mirac. mortuor. Lib. 2. tit. 3. §. 1.* Interea *superior* & paulo *altior* aeris regio *purior* communiter existit, quoniam *venti* illam facilius *penetrare* & *purificare* possunt, insuperque valde *crassæ* & simul *impuræ* substantiæ in *inferiorem* regionem decidunt: hinc *salutarior* locus est *altior*, cum declivior ab *exhalationibus* etiam *terræ impurior* existat: ob id loca montibus *circumvallata* salubria *haud* sunt, in quibus diutius aer detinetur, neque *novo* sufficienti *afflatu* temperatur, aut *purificatur*; hinc effluviis *impuris* magis impraegnatur & *vappidior*, *crassior & gravior* redditur, siquidem *diu* in aliquo loco *occlusus* & detentus aer vel ipsi *odori adversus* obversatur, qui propterea vocatur, eine faule dummlichte Lufft: confirmat hanc veritatem suo rotundo & perspicuo testimonio *P. Zacchias l. c. n. 11.* ubi dicit: *ex perflatione ventorum aer magis aut minus salubris efficitur; in universum autem aer a ventis perflatus & motu perpetuo agitatus salubrior censetur, non secus enim ac ipsa aqua: aer qui motu caret, crassior &*

magis turbidus evadit, ac putris ac suffocans fit, ut is est, qui celsis undique montibus inclusus perflatum nullum a ventis recipere potest: atque eadem causa aer civitatum crassior fit, non solum, inquit Athenæus, quod in sese cogatur, ex eo quod nullo motu cieatur, sed ex eo etiam, quod multo tempore in umbra sit & multo magis quod plurimæ atque omnis generis exhalationes ex urbe in aerem ipsum eleventur: unde Avicenna ait: si fuerint venti multi sibi succedentes, quos non refrænaverint montes, aer erit magis a putrefactione salvus: hinc homines qui in *altiori* situ terræ, aut domicilio vivunt, majori & *firmiori* sanitate & vita pollent: quid quod multiplicia *exempla* confirmant, quod incolæ *altiorum* montosarum regionum ad *longiorem* vitam perveniant; etenim in locis *profundioribus impura* effluvia, e *terra* æque ac *aliunde* provenientia, *diutius* morantur & *copiosius* accumulantur, unde facilius incolis & accolis varia nocumenta inferunt: Quicunque itaque *Longævitati* subvenire volunt, præcipue *declivia* & humilia habitacula vitent & in altioribus contignationibus frequentius versentur, ut *liberior* accessus *temperati* aeris & venti, quotidie emergentes & exorientes *impuritates* dissipet & avehat; etenim non modo in locis *altioribus* impurus aer *aufertur*, sed & *purus affertur*, hinc *liber*, sed *moderatus* ac lenis *transitus* aeris per loca & domicilia multum utilitatis affert; quemadmodum prudentes & solliciti œconomi hanc qualitatem soli, loci, territorii, domicilii attenta mente annotant: hinc etiam *Palladius de re rustica Lib. 3. c. 3.* asserit: *aeris salubritatem declarant loca ab infimis vallibus libera, & nebularum motibus absoluta & habitatorum considerata corpuscula &c.* quando itaque pro regionum & locorum ratione homines in locis *putridis*, *paludosis*, sylvestribus, nemorosis &c. vitam agere debent, tunc

tunc pro ſanitatis adjumento & vitæ auxilio aerem in *ſublimiori* ædium conſuetarum loco ſeligant, inſuperque domicilium *ordinarium* ſervent, per quod *liber* aeris tranſitus *quotidie* continuare, adeoque *impura* effluvia *diſpellere* & avertere poteſt.

§. VIII.

Obſervanda porro eſt temperies aeris reſpectu *ventorum* conſpirantium, hinc *Caſpar Bravo in Reſolutionibus & Conſultationibus medicis Part. 1. diſp. 3. Sect. 2. Reſol. 4. p. 93.* quæſtionem proponit & decidit: *utrum venti valeant noſtram immutare temperiem ſuis diverſis temperiebus:* haud vero *generale* de ventis judicium formari poteſt, quoniam ventorum *qualitates* & *effectus* pro *varietate* locorum & regionum diſcrepant, id quod explicavit *Reinzer in Meteorologia diſſ. 6. qu. 4 5. p. 114. 117. Athan. Kircherus in Mundo ſubterr. Lib. 4. p. 214. Sturmius Phyſ. hypothet. Tom. 2. p. 1174.* quamobrem haud *generice* cum hoc *Kirchero* judicare poſſumus, quod *omnis* ventus, qui ex *aeris* commotione non fit, ſed ex *halitibus* & vaporibus, *humanis* corporibus non tantum *nocivus*, ſed & *exitialis* ſit, quam ſententiam *Sturmius l. c. phæn. 3. p. 1175.* refellit: in *noſtris* itaque regionibus *ſalubres* ſunt venti *Orientalis*, qui communiter *purus & ſerenus* eſt, nec non *Meridionalis*, qui *calidus* eſt & ſimul *tenuem* & rarefactam *humiditatem* in athmoſphæram noſtram affert: unde ex *oriente* & *meridie* ſpirantes venti *temperati* & *corpori* ac *ſenſui* humano *grati* ſunt: *orientales* enim venti *ſicci & frigidi* ſunt, qui etiam ſi *ſolitarie* & ſimpliciter afflent, *exſiccant* & *refrigerant*: quia vero *puri* ſunt, ita inimicos & *nocivos* vapores athmoſphæræ *auferunt* & diſpellunt: *temperat* vero viciſſim hic ſubſolanus aut orientalis ventus *Notum*, ſive *meridionalem*, qui *valde* calidus & *humidus* eſt, ne hujus *æſtus ægre* afficiat noſtrum corpus: quod ſi vero *Orientalis* ventus cum collaterali plaga videlicet *boreali* ſ. ſeptentrionali convenerit, indeque

ſpira-

ſpiraverit, tunc *frigus* reddit *intenſius* & corpori noſtro *minus* gratum ac proficuum: neque *aquilo* ſ. ſeptentrionalis *ſalubris* eſt, quia *nimia* frigiditate in noſtris provinciis *plus* corpora offendit, *humores* videlicet *incraſſat*, ad fibrarum *nimium* rigorem diſponit, adeoque *excretiones* magis *impedit*, quam promovet: unde teſtimonium & judicium *Hippocratis Sect. 3. aph. 17. quotidianæ tempeſtates aquiloniæ cogunt corpora & firmant, mobiliora item & expeditiora, magisque colorata atque auditu valentiora reddunt*, ad noſtras regiones applicari haud poteſt, ſiquidem hic ventus in Inſula *Coos talis* eſt, quales *nobis orientalis* exiſtit: neque *borealis & occidentalis ſimul* adſpirans *ſalubris* dicendus, quia *frigidus & humidus* exiſtit, quæ *mixtæ* qualitates non modo *Senſiti adverſæ* ſunt, ut propterea *frigus humidum*, eine naſſe oder feuchte Kälte, homines *ægrius* perferant, ſed & *fluidis & ſolidis* partibus magis infenſum eſt, & multiplices *morbos* cauſatur: præcipue vero talis *mixtus* ventus ad graves alterationes *tonici* motus contribuit, unde benigni & maligni *catarrhi*, necnon *febres* diſcrepantis hujus conditionis, *rhevmatiſmi*, *ſpaſmi*, *alvi* fluxus &c. oriuntur: Zephyrus aut *occidentalis* non modo afflatu ſuo *impetuoſus* eſt, ſed & athmoſphæram noſtram valde *madefacit*, nimiaque ſua *humiditate* perquam corpus humanum *offendit*; & quia ſimul *moleſte frigidus* eſt, ita *varias* poſſidet qualitates, quæ *magis inſalubres* evadunt: Si vero hic ventus cum *auſtrino* conveniat, tunc facile conſtat, quod *calida humiditas* citius & efficacius ad *corruptionem* diſponat, eademque, ſi *diutius* in aliqua athmoſphæra duraverit, morbos *Epidemios*, *malignos* excitet: quicunque itaque homines *majori ſenſibilitate* præditi, aeris mutationes *facile* & *ægre* percipiunt, illi ſe *ejusmodi* etiam ventis *non liberius* & longius exponant: quid quod *ſelectus* etiam inſtituendus cum ventorum *relatione*, applicatione & conciliatione; nam corpora *ſicca* orien-

orientalem & *ſeptentrionalem* ſimplicius afflantem ventum *non bene* perferunt: corpora *calida* ægrius *meridionalem* tolerant, corpora *humida* minus bene *occidentalem* admittunt; Semi orientalis & meridionalis *utplurimum omnibus* Germaniæ incolis conducit, qui etiam ordinaria & conſueta ſua domicilia & habitacula verſus talem plagam ſeligere & obſervare debent: quodſi etiam venti *oppoſitis* qualitatibus *ſubito* mutaverint & alternaverint, facile tunc ſanitatem lædunt, imo ſæpe *repentina* vitæ pericula inferunt, etenim *excedentes* qualitates principales *phyſicæ*, velut caloris, frigoris, humiditatis & ſiccitatis non modo naturæ *moleſtæ* & adverſæ, ſed & corpori *pernicioſæ* ſunt; hinc ſub ejusmodi *ſubitaneis* mutationibus *ſanitatis* ſuæ ſollicitam & ſedulam rationem habere debent homines, ut quovis modo *temperiem* obſervent: Exinde vero facile colligere licet, quod *illa* loca, in quibus etiam *temperies* aëris quoad *ventos* occurrit, utpote *ſalubriora* longævos & *firma* ſanitate præditos incolas contineant.

§. IX.

Et quoniam aer præcipue pro *Reſpiratione* neceſſarius & utilis eſt, ita illius temperies in hoc negotio perquam commendanda & obſervanda venit: Corpora itaque *teneriora*, ob teneriorem *pulmonum* compagem aerem etiam *ſubtiliorem* perferunt, qui facile *celluloſam* illorum ſubſtantiam expandit & diſtendit, quamvis alias *ſubtilior* aer, ut ſupra notavimus *difficilius* in corpora *ſolida expanſivam* ſuam vim exſerat, ni *aliis activis* qualitatibus ſublevetur: hinc in oppoſito homines *conſiſtentioris* corporis, cujus partes *firmiores*, compactiores & *duriores* exiſtunt aerem craſſiorem, *denſiorem* & ſpiſſiorem *facilius* perferunt: inde evenit ut ob *talem* aeris conditionem quidam homines in *uno* loco *diutius* perdurare queant, quam in alio, aut ut *mutatio* locorum a nonnullis

personis propter hanc rationem suscipi debeat: quando itaque homines e climate *calidiori* in *frigidius* se convertunt, varias *pectoris* afflictiones subeunt, maxime quidem, quæ *robur* sic dictum pulmonum concernunt, quas vulgo nominant die Brust-Kranckheiten, qui consistunt in *oppletione humorosa* & infarctu cum dyspnoea conjuncto: Aer *valde elasticus* & *summopere* subtilis *nulli* subjecto ad *liberam* & facilem respirationem congruus est, unde ab eodem *anxiæ*, *difficiles* & operosæ inspirationes deduci possunt: testimonio *æstuosi* & *humiduli* aëris, quem vulgo schwuhle bange Witterung appellant, quo spirante homines, præcipue crassis & *densis* aut *induratis* & exulceratis pulmonibus præditi, ægrius *respirationis* negotium perficiunt: Deinde homines, quorum pectus *planum*, *depressum* & *angustum* est, ob aerem *subtiliorem* & pro expandendis pulmonibus nuda sua *subtilitate* ineptiorem *difficiliorem* respirationem experiuntur, tanto magis si corpus suum aliis negotiis & *laboribus* exercent, sub quibus *copiosior* affluxus sanguinis *intra* pulmones provocatur: quam ob rem iterum tales homines pro hisce circumstantiis & qualitatibus convenientem aeris *temperiem* seligere debent, aut ad minimum in *incongrua* aeris qualitate per rationes *tempestatum* & annuarum mutationum *continentiæ* studere debent, ne *adversæ* ejusmodi aeris qualitati *multum diuque* suum corpus submittant, indeque multiplicia incommoda, *pectus* imprimis afficientia, experiantur: Ægre porro ferunt pulmones aërem multis *metallicis*, præcipue *sulphureis crassis* æque ac *subtilibus*, *saturninis*, *arsenicalibus* & *mercurialibus* vaporibus & substantiis remixtum, cujus *frequens* accessus & inspiratio, multa sontica pectoris pathemata convocat, quæ satis sæpe *immedicabilia* evadunt: quam ob rem aut talem *inimicum* aerem homines *sensibilioris* & *tenerioris* constitutionis *plane* vitare & *puriorem* athmosphæram seligere de-

debent, si ex *naturali* tali causa *longiorem* vitam adjuvare & promovere volunt, vel si circumstantiæ & vicissitudines rerum plenariam talem vitæ & regiminis *immutationem haud* concedunt, tunc ad *venti purioris* afflatum se accommodare debent, juxta proverbium, sie müssen gleichsam den Mantel nach den Wind hengen, ut videlicet in talibus habitaculis conversentur, ubi aer *libere* vento *placido* transiens & transpirans, alias *inimicas* impuritates dissipat & *aufert*, ut *indies puriori* aura temperata athmosphæra quascunque metuendas *morbosas* afflictiones avertere & vitæ longiorem durationem promovere adjuvet: Ita etiam aer in habitaculis, *supra cellas* exstructis, non modo *reliquo* corpori, sed & *respirationi* perquam *infensus* est, dum videlicet *ex cellis* & asservatis *potulentis* vinosis & cerevisiariis *fermentantibus* multi halitus *humidi*, nec non *volatiles sulphurei* & *salini* adspirant & vario effectu pulmones *lædunt*; qualis aer dum *temperatus haud* existit, sanitati & vitæ minus proficuus est: perinde aer multis *occlusis* effluviis ex *accensis carbonibus*, aut officiis *murariis*, velut *calce viva*, vel *tinctoria* & *pictoria* arte provenientibus, utpote *vernice* & *oleosis* similibus coloribus, impraegnatis, respirationi admodum *infensus* est, qui propterea magna sollicitudine vitandus est.

§. X.

Optima itaque illa ad *longam* vitam promovendam *aeris* est *temperies*, quæ in *uno quoque* subjecto *salutares excretiones* sublevat & facilitat: etenim hisce *rite* procedentibus, *connexæ* reliquæ functiones, ad œconomiam *vitalem* spectantes, *simili æquali* ordine progrediuntur: talis temperies aeris *illa* est, quæ *æqualem* humorum *progressum* adjuvat & nocivas *fluidarum* partium *incrassationes* atque *inquinationes* avertit, *solidarum* etiam partium perniciosam *stricturam*, aut *relaxationem* declinat, sed potius partes *porosas* in *sufficienti* & congrua *amplitudine* conservat, sub qua

salubres humorum *circuitus* & *impuritatum* excretiones rite procedunt; Seorsim quidem *sensibile frigus*, aut aer *frigido-humidus* excretiones *valde* impedit & minuit, *nimis calidus* vero, aut *æstuosus* vario modo illas *turbat*, vel *diaphoreticam nimium* augendo & impellendo, *diureticam* vero & *alvinam* minuendo, aut hanc posteriorem in *inordinatum* statum conjiciendo, dum sub calore *bilis* non modo *copiosior* generatur, sed & *acrior* redditur, quæ posthac *largius* intra *intestina* affluens, hæc *sensibilius* stimulat & *affluxum* humorum ad eadem convocat, subinde vero *reliquam* necessariam *transpirationem* cohibet, hinc hac ratione affectus *dysenterici*, vel ex *nuda* tali *aeris* intemperie *originem* ducere solent, quando non modo bilis *acrior teneram* intestinorum texturam offendit & *excoriat*, sed etiam ex massa sanguinis *acrius serum* ad locum *semel affectum* copiosius confluit & præsentem *stimulum* atque excoriationem *auget:* quid quod evenit, ut aer *æstuosior* cum *frigidulo alternans*, in subjectis etiam paululum *sensibilibus* gravem & *periculosam* alterationem causetur, quando sub *æstuosa* aeris qualitate *motus* humorum intenditur, serum acrius, *subtilius* & *perniciosius* redditur, proinde vero *diaphoresis*, aut rectius *hydrosis* sive aquosa sudatio augetur, sub qua *commotum* hoc pravum serum *largius* evacuatur, *aliæ* vero *necessariæ* & *utiles* humiditates ejiciuntur, quando vero vicissim sub *tali* processu *frigidula* aura afflat, quæ post *prævium* æstum tanto efficacius & *citius* corpus alterat & offendit, tunc *subito strenua* diaphoresis *sufflaminatur*, serum *orgastico* intensiori motu qualificatum aut in *ebullientem* massam sanguinis, aut ad *teneras* & *sensibiles* partes membranosas & nerveas *repellitur* & revehitur, quod dein massæ *sanguineæ* citiorem *putridam* corruptionem minatur, aut *partes* illas *sensibiles* moleste *stimulat*, ut *ad easdem* impetuosæ *congestiones*, in *inflammatorias* commotiones abeuntes, ruant, vel ut easdem *spasmi*,

rheu-

rhevmatiſmi &c. affligant, vel seceſſiones *acres* humoroſæ transeant, unde pro *diverſitate* affectarum partium, nunc *acres catarrhi*, *tuſſes ferinæ*, *branchi*, *vomitus acres* & *bilioſi*, aut *diarrhœæ* tales oriuntur, quemadmodum ſingulis talibus affectibus facile *febriles* motus, aut *acuti typici*, aut *anomali* & *vagi* ſuperveniunt & ſub tali comitatu totum *morbum graviorem*, contumaciorem, magis intricatum & *periculoſum* reddunt; Secundum hanc æſtimationem & relationem aeris temperies pro *diſcrepante ſenſibilitate* perſonali aliarumque *individualium* circumſtantiarum ſeligi debet, prout præcipue in quolibet ſubjecto aut *facilius* aut *difficilius* evacuationes ſuccedunt; nam ſecundum traditas tales *fundamentales* animadverſiones medici *applicationem* ad *individua* formare, aut quilibet *ſibi ipſi* circa *aeris* moderationem *medicus* eſſe debet & poteſt: ita etiam aer *craſſus*, *nubilus*, *nebuloſus*, *denſus*, qualis præcipue in regionibus *paludoſis*, aut *maritimis*, aut majoribus ſtagnis & fluminibus vicinis & adſitis, occurrere ſolet, utplurimum *ſalutari*, libero & ſufficienti progreſſui *evacuationum inimicus* eſt, in quibus locis propterea habitaculorum *concalefactione* moderata *temperies ſalubris* aeris acquiritur: & quando in uno alterove ſubjecto ex *ſpeciali* & *individuali* directione motuum *excretiones ſolenniores* & copioſiores e *capite*, aut e *pectore* ſuccedunt, tunc tanto magis ſollicitâ *curâ* talis commendata aeris *temperies* obſervanda eſt, quoniam aer poſteriorum qualitatum, præcipue *frigidus* eximie tales *excretiones* impedit & turbat, dum per continuam *inſpirationem proxime* hæc loca afficit & *alterat*; quibus *evacuationibus* eminentius & *ſenſibilius* perturbatis, valde *perverſi*, contumaces & *corrupti* morbi ſupervenire ſolent.

§. XI.

Præter hactenus commendatam aeris *temperati* ordinationem & applicationem ſeorſim etiam notandum

 eſt,

est, quod *fortior* & *impetuosior transitus* aeris per diversa loca, domicilia, conclavia, dormitoria, requietoria, fornicata, fenestris e diametris positis instructa, &c. durch welche die Lufft starck ziehen kan, multis hominibus, præcipue *infantibus*, *senibus*, *fæminis* & *teneris* ac *sensibilibus* personis *infensus* sit: etenim sub tali *potentius* transeunte *afflatu* non modo liberior & *tranquillior* aura, *ventosa* & efficacius spirans redditur, sed & cœteroquin *calidus* aut temperatus aer, *frigidior* evadit, ut *utraque* tali qualitate corpus prædictorum subjectorum *fortius* afficiatur & offendatur; inde innotuere *vulgares*, sed *veræ*, locutiones kleine Kinder könten sich bey solcher Luft leicht verfangen: quare a *tali* aeris afflatu affectus *pectoris*, *catarrhi*, *rhevmatismi* &c. facile ortum ducere possunt; hinc vitæ & sanitati studentes & consulentes iterum quoad hanc constitutionem & qualitatem justam & *congruam* temperiem ordinare debent: neque approbationem aut *commendationem* meretur ille multis usitatus mos, quo æstivo & *æstuante* præcipue aere, dum *diurnis* horis corpus strenuis *sudoribus* perfusum *hortis* & auræ hortulanæ submittitur & per multas *nocturnas* horas in iisdem servatur; quæ aura utpote *frigidior* & suaveolentior *sensui* quidem amœna & *grata*, multis vero, imprimis *sensibilibus* & *congestoriis* commotionibus, excretionum turbis obnoxiis, *flatulentiæ*, *colicæ*, *catarrhis* subjectis, *febriles* facile commotiones subeuntibus, *inimica* est, tanto magis quando vel ex ipsis *humectatis* hortis, vel fluminibus, rivis & stagnis alluentibus, aquæ ductibus, vel aliis hydraulicis machinis effluvia *humida nocturnis* talibus horis cum aere frigidiusculo conspirant, hinc facile *transpiratio* impeditur, *pulmones* alterantur indeq; Spasmi, rhevmatismi, tusses, catarrhi, colicæ, diarrhœæ & alia varia sontica pathemata excitantur: quamobrem ratione *hujus* circumstantiæ & conditionis *vitæ* humanæ pro ratione *personarum* & individuorum *justa* aeris *temperies* & applicatio ordinanda est: Talis

lis etiam *accurata* auræ blandæ & congruæ commendatio & ordinatio maxime in *Infantum* regimine necessaria est, qui quo *sensibiliores* sunt, eo facilius *alterari* possunt; quibus aer *frigidus* valde *infensus* est, qui vel cum *humiditate* vel *siccitate* conjunctus *variis* morbis viam pandit; præcipue vero facile a tali inimica & *inconvenienti* aeris qualitate infantes ominosos *pectoris* affectus, *tusses* pertinacissimas, spasticas, convulsivas, suffocatorias, catarrhum suffocativum, aurium & oculorum oppletiones humorosas, secessiones falsas acres, glandularum infarctus & indurationes, alvi fluxus suspectos, colica tormina &c. experiuntur, aut facile ulcerosis incommodis subjiciuntur: deinde aer *valde æstuosus infantili* ætati æque *adversus* est, humores enim in infantibus *fluidi* & mobiles, partes vero *solidæ* molles & *laxæ* sunt, unde *intensior* fluidarum commotio, *proportionata* solidarum partium *moderatione* frui haud potest, quare partes *fibrosæ* magis *expanduntur*, distenduntur, *relaxantur*, enervantur, *sudorifica* evacuatio vero *ultra modum* augetur, in *humoribus* multifaria *inquinamenta* augentur, *lympha* subtilis cum *sero* tenui sulphureo *salso* mixta *intimius* intra cutis *superficiem* premitur, unde ab *alternante* aura *frigidula* & conjuncto cutis *rigore* hæc lympha *minores* subit *stagnationes* superficiales, quæ *pustulas* miliares rubicundas constituunt, quas quidam *perperam* pro inquinatione *purpurata* habent, cum rectius attentæ fæminæ illas ab *æstuante* & valde commoto sanguine, juxta prædictam rationem derivare & Hitz-Bläßgen appellare soleant: proinde vero a tali *æstuoso* aere multa alia incommoda in tali *tenera* ætate provenire solent, velut *stagnationes* humorosæ in pectore, majores stagnationes *lymphæ* & *sanguinis* in *peripheria*, præcipue si aura *frigida* supervenit, unde enascuntur *inflammationes* quas Schwähren nuncupant, ut & refractariæ *induratio-*

nes

nes glandulosarum partium: Porro *Senes* etiam *temperatam* requirunt aeris qualitatem & quidem *eandem*, quam *superius omnibus* subjectis utilem judicavimus, quæ *mediocriter calida* & lenissime *humida* est: *Frigus* enim *senibus* multis modis *nocivum* existit, siquidem ipsa *Senectus* ætas *frigida* est: neque aer *inconstans* huic senectuti proficit; quamobrem Senes sollicite aeris *mitiores* injurias *vitare* & non nisi *constanti* & tranquillæ auræ se committere debent; de reliquo *facilius* aerem *calidiorem*, quam frigidiusculum perferre & cum vitæ ac sanitatis commodo adhibere possunt: unde ab *æstate exeunte*, usque in *medium* vernum tempus rectius habitaculis suis se concredant: *Puerperæ* accuratam etiam aeris *temperiem* utplurimum seligant, præcipue aut *plus* aut *mediocriter sensibiles* & *delicatis* regiminibus adsuetæ: hisce perinde *omne frigus* infensissimum est, *moderatus calor* vero proficit: Quicunque homines *annuis salutaribus* excretionibus adsueti sunt, *bonam* aeris temperiem observent; sunt vero tales *periodicæ* excretiones *bono regimine* sublevandæ, *Sudationes*, *hæmorrhoides*, lenes *alvi* fluxus: & hisce semper *moderatus calor* proficit, *omne* vero *frigus* nocet: quare *omnes* evacuationes, sive *quotidianæ*, sive *menstruæ*, sive *periodicæ*, sive *exacte annuæ* magnas *difficultates* ab aere *frigido* suscipiunt: Hæc sunt, quæ brevi & enucleata commendatione de *Longævitate ex aeris temperie* proponere & commendare voluimus: Specimen hoc est, quo niti possunt, quibus volupe est huic meditationi *specialissima* applicatione & amplificatione inhærendi: Sit divina Clementia a nobis pro præstito auxilio immensis & humillimis concelebrata laudibus, quæ ad devotissima nostra vota etiam efficiat, ut hosce æque ac omnes reliquos conatus nostros salubris ac secundus comitetur & tueatur

FINIS.